Q. D. B. V.

De

LACRYMIS SAGARUM.

DISPUTATIONEM PHYSICAM,

favente Numinis div. gratiâ

In Celeberrimâ ad Albim Academiâ,

PRÆSIDE

DN. M. JOHANNE WOLFIO,

Löbej. Saxone,

Præceptore, Fautore atqve Amico suo colendissimo,

Ad D. 2. Decembr. Anno M DC LXXVI.

In Acroaterio Veteri,

Publicæ συμφιλοσοφήσεων disqvisitioni

exponit

CHRISTIANUS STEGMANN,

Brandenb. March.

VVITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

I. N. J.

PRÆFAMEN

UTut Diabolus, mille fraudum Artifex, totus totus in eô occupatus sit, qvomodo suos subornet, ut scribant propalent doceantq; *id omne, qvod de Magis prædicatur, fabulosum esse: Comprobante id è multis Exemplo Gvilelmi Linensis Doct. Theol. accusati magicarum artium condemnatiq; Ann. 1553. d. 12. dec. qvi resipiscens, confessus fuit, se per noctem cum Magis aliis per sæpe deportatum fuisse, ut Diabolum adoraret, modò humanâ modò hircinâ specie conspicuum, & Religioni toti renunciâsse. Qvin & penes ipsum Instrumentum Obligationis contractæ cum Diabolô fuit deprehensum, qvô sponsiones reciprocæ continebantur, inter alias autem hæc: Doctorem obligatum esse ut publicè concionetur, qvicqvid de Magis prædicatur fabulam esse, non posse fieri, nullam fidem sermonibus istis haberi oportere. Teste Petrô Mamoriô in Libellô de Lam. cit. Carpz Pr. N. R. C. P. I. qv. 48. N. 13. p 310.* Dantur tamen; & hucusq; observata, de qvibus num singula sint infallibilia nec vacat, nec permittit tractatio pluribus dicere, nonnulla signa sunt à Prudentibus Judicibus, qveîs fraudulentum cum Diabolô consortium initum aperire non neqveunt. Magos enim eos vel eas esse præsumunt, qvi vel qvæ (1) *Cum aliis certis atq; convictis Magis sæpiùs consvetudinem & familiaritatem habent. Conf. Bod in Dæmon. L. 4. C. 4. p. 610.* (2) *domo cubiliq; absunt clausis foribus. Conf. eund. C. 2. p. 558.* (3) *Pactum aliqvod inter Diabolum & Magos consignatum à Magis subscriptum in scriniô suo aluut. Joh. Zang. in Tract. de qvæst. & Tort. C. 2. n. 200.* (4) *Oculos fascinant incantantq; Carmine. Matth. Berl. P. 4. Concl. 4. n. 57.* (5) *Sermones cum Diabolô habent, vel ipsum adorare videntur. Conf. Joh. Georg. Godelm. in Tract. de Magis Venef & Lam. L. 3. C. 8. n. 9.* (6) *Confessiones aliis Magorum vel Sagarum Confessionibus editis, similes proferunt, unde ex observatione omnes fermè Diabolum appellant* ihren Juncker oder Buhlen. *Conf. Daniel Mollerus in Const. Elect.* (7) *non possunt,* (reliqva ob brevitatem lubens mitto) *præsente Judice vel in Torturâ lacrymari, Conf. præ cæteris Paulum Ghirland. in Tr. de Sortil. qv. 9. n. 3.* Cùm ultimum potissimum Signum mirum præ cæteris videatur, è Physicis tamen demonstrari possit, Ingenium nostrum in arduâ hâc materiâ, exercebimus. Subjungendô paucis rei *existentiam, Terminorum Expositionem, & de-*

nigꝫ rei expositæ probationem & si qvid fortè præter hæc occurret. Deus annuat cæptis clementissimè!

Sect. I. Sistens Existentiam.

§. 1. Re unicuivis, ex ore omnium fermè Præfectorum Qvæstorum, Judicum, Notariorum, Testium, & si qvi porrò qvæstionibus criminalibus intersunt, manifestatâ, non opus est velle aliqvem esse in demonstrandâ ejusdem existentiâ operosum. Potissimùm cùm hîc non *de præsentiâ vel absentiâ lacrymarum in Sagis respectivâ sive testificatoriâ*; *Sed simplici solùm*, qvæ, sive in singulis detur, sive non, nobis perinde est, *simus solliciti.* Qvi vult adgrediatur Godelm. in Tract. de Mag. Venef. & Lam. L. 3. n. 26. Berlich. & citatos jam tùm alios. Ut tamen aliqvid pro sententiâ nostrâ adduxisse videamur; paucis fide dignorum Autorum allegabimus *& verba & Processum qvo lacrymæ qvidem efflagitantur sæpius, acqviruntur ab iis vel rarò vel nunqvam.*

§. 2. Qvod attinet verba (a) *Paulus Ghirlandus de Sortil. qv. 9. n. 3. & Sprengerus, Inqvisitores, Sagas lacrymare non posse, nec ab unicâ qvidem sese potuisse lacrymas exprimere, tametsi gemere suspirare ꝫ videantur & omni conatu lacrymari conentur, pronunciant.* Adduc Bodin. jam cit. (b) Necaliter statuitur in *Malleô Malef. P. 3. qv. 15. p. 557.* Si *investigare affectat*, ibi dicitur, *Judex, an maleficio taciturnitatis sit involuta malefica, advertat an lacrymare coram eô stando possit, aut Tormentis exponendo. Hoc ipsum enim pro certissimô Signô ex fide dignorum antiqvâ relatione ac propriâ experientiâ docente adeò compertum est, etiamsi ad lacrymandum Conjurationibus aliqvot hortetur & compellatur; si malefica existit, hoc ipsum, scilicet lacrymas emittere non potest: Dabit qvidem flebiles sonos, & ex sputô genas & oculos linire, ac si fleret, attentabit, super qvô à circumstantibus cautè advertendum erit.*

§. 3. Qvod concernit *Processum.* Talis potissimum adsciscitur à Judice: Manum super Caput delati seu delatæ ponendo, *conjuro Te*, inqvit, *per amarissimas lacrymas à nostrô Salvatore Dominô Jesu Christô in Cruce pro salute Hominum effusas* (reliqva verba utut Papismum sapiant & in Luther. Judice tolerari non possint, integra tamen adducam) *ac per ardentissimas lacrymas, ipsius gloriosissimæ Virginis Mariæ, Matris ejus, super vulnera ipsius horâ vespertinâ*

tinâ sparsas, & per omnes lacrymas qvas hic in Mundô omnes sancti & Electi Dei effuderunt, & à qvorum oculis jam omnem lacrymam abstersit, ut in qvantum sis innoxia lacrymas effundas, si nocens, nullô modô. In Nomine Patris, Filij & Spiritûs S. Amen. Conf. Malleum Malef. c. l. p. 557. seq. ubi Autor pergit: *Experientia docuit, qvantò ampliùs conjurabantur, tantò minùs flere poterant, cùm tamen vehementer ad fletum se stimulabant & genas Sputò humectabant. Plura non addo, sed Chartam gravioribus relinqvo.*

SECT. II. Sistens Term. EXPOSIT.

1. Obs. *Sagas* æqvipollenter & per Synonymiam Grammaticam qvoq; dici *Striges, Lamias, Magas, Incantatrices, Veratrices, Veneficas, Haruspices, Necromanticas, Præstigiatrices ac denique Mathematicas.* Attamen non singularum eandem semper, respectu Pactionis vel explicitæ vel implicitæ, rationem esse fatemur, qvamvis de cæterò in eô conveniant omnes, qvod se Diabolo sive fortius seu debiliùs obstringent. Hinc non opus est cujusvis appelationis certam tradere definitionem, censente & ipso *Jur. C. Princ. B. Carpzov. l. c. p. 310.*

2. Obs. Nos agere de *Lacrymis Sagarum non in oppositione ad Magos seu ipsorum lacrymas, & consequenter in sensu exclusivô;* siqvidem nullum est dubium, qvin & hi Venefici deprehensi & à Judice verbis ad lacrymas allecti eas verè emittere eandem ob rationem neqveant: *Sed potiùs in sensu inclusivo.* Qvia verò ut plurimum dicti sceleris Malevolæ Mulieres reæ deprehensæ sunt, rarò autem viri, à potiori, ut ab aliis, ita etiam à nobis facta fuit denominatio.

3. Causæ vero cur Fæminæ magis qvàm Viri fœdissimô hôc scelere corripiantur, *unicè in Confœderatis Personis investiganda est. In Diabolo ing, ipsâ Saga. Diabolus*, ultra, qvod Sexui fæmineo est *Hostis infensissimus*, quod sacra testatur Pagina; est etiam *Spiritus sagacissimus*, unde & Viri & Fæminæ Naturam & inclinationem optimè perspectas habens, videt Fæminam longè debiliorem esse, qvæ possit fraudibus atqve astutiis ipsius ob Animi Corporisq; flexibilitatem resistere, hinc eam, in Viro majorem hariolans constantiam, aggreditur, & vel blanditiis & promissis, vel minis etiam non rarò pactionem extorqvet. *Saga* verò Diabolo invadenti vel

facilè obtemperat, vel ipsum, qvà certam speciem, adhuc absentem Votis & suspiriis adsciscit; Idqve provenit partim *ex Malitiâ*, partim ex *Naturæ Infirmitate*. *Ex Malitia*, qvia præ cæteris innumerabilibus flagitiis potissimum hæc tria, *Infidelitas*, *Ambitio*, *atque Luxuria* in Sagâ regnant. His si non flectere potest vel superos vel Inferos, Acharonta movet. Hinc rectè Chrysostomus super Matth. Cap. 19, *Qvid aliud est Mulier, nisi Amicitia inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, malum naturæ, bonô colore depicta. E. si dimittere illam* (malam intelligit) *peccatum est, cùm oportet tenere, tormentum necessarium est, ut aut dimittentes Adulterium faciamus, aut quotidianas pugnas habeamus.* *Ex Naturæ Infirmitate.* Qvæ se manifestat dum (a) maximè pronæ sunt ad credendum, sive objectum sufficiens credibile sit sive non (b) sunt facilioris impressionis factæ à malis Spiritibus. (c) lubricam habent Lingvam, & ea quæ malâ Arte sciunt, comparibus fœminis vix celare possunt, seq; occultè, cum vires non habeant, per maleficia vindicare qværunt facilirer. (d) deniqve in omnibus Viribus tùm Corporis tûm Animi ultra viros admodum deficiunt. *Et* qvidem *Viribus Animi*, putà (α) *Intellectûs*, quantùm enim ille spiritualia intelligere debet, videtur esse à viris alterius speciei, cùm juxta Terentium Mulieres fermè ut pueri leves sint sententiâ. Neqve hîc ulla videtur esse difficultas; Vel paucas vel nullas Mulieres rectè posse in qvovis Artium genere institui unde est, nisi ab intellectûs infirmitate ac imbecillitate? Hinc facilè absqve ratione & ansâ credunt, dubitant fidemqve abnegant. (β) *Voluntatis*, unde promanat partim *Implacabile odium*, quem enim anteà amavit, ex inconstantiâ jam ita odit, ut ardeat in odiô & quasi comburatur. Partim *Vindicabilitas*, qvippe non priûs acquiescit, nisi lædentem dolô malô priùs affecerit: Partim *Constantia in malô*, si primùm à verô Deô secesserit, celare quôvis pactô factum annititur, idque non absque fructu, unde Diabolo socio ipsam agitanti vela continuò solvit. Quis de debili Virium Corporis muliebris in ordine ad Virile, ratione dubitavit unquam? Plura qui desiderat adgrediatur, *tùm in sacris literis Ecclesiasten, tùm Mall. Venef. P. 1. qv. 6. p. 94.* E quibus patet facilius obrui posse Mulieres

reti

reti diabolico qvam Viri, qvos apud (si non apud omnes, apud plerosq; tamen) major resistendi datur efficacia.

4. Dist. *inter Sagarum cum Dæmone pactionem expressam & tacitam sive implicitam.* Illam contraxêre, qvæ Albo Veneficarum vel Magorum dant Nomina sua, omnipotenti Deo Creatori suo renunciant, fœdus Baptismi rescindunt & Filium Dei abnegant, ejusque beneficia detestantur; Econtra Diabolo Homagium præstant, obseqvium perpetuum promittunt, & sese suasqve Animas & Corpora in æternam damnationem rradunt. Hanc verò admittunt omnes illæ, quæ absque fœdere expressó quid commercii ac consvetudinis habent cum Diabolo, quæve scientes hærent superstitiosis observationibus. *Conf. Carpz. l.c.p.310.* Quær. hîc quidem de Sagis utraq; pactione adactis, quia in hôc Singulæ conveniunt, quod Artes diabolicas exerceant, & Dæmone cooperante Hominibus pariter ac Brutis Animalibus nocere atque mira facere quæque audeant: Potisimùm verò de Sagis obstirmatis pactione explicitâ.

5. Dist. inter *Sagas pœnitentes & impœnitentes.* Has appellamus quæ pactionem sive implicitè sive explicitè cum Diabolo initam constanter servant nec eidem vel in Carcere, vel in Torturâ, vel coram Judice, vel denique in ipso rogo, ex instinctu ipsius tergum vertunt. Illas dicimus quæ contra. Quær. de prioribus. Ubi adhuc memineris dist. esse inter *Sagas Culpæ sontes & insontes.* De illis non de his nobis sermonem esse quilibet cernit.

6. Hæc qvà vocem nudam Sagarum sufficiant. Accedunt explicandæ *Lacrymæ.* Ubi ante omnia hic observandum, *qvod lacrymæ ac fletus sive ploratus, item lacrymare ac flere sive plorare sint Synonyma apud nos grammatica, æqvè latè patentia.*

7. Statim distingv. inter lacrymam *propriè & impropriè ita dictam. Impropriè accipitur* vel *latissimè*, prout qvemlibet notat humorem guttatim prolicitum, & hic competit partim *rebus inanimatis*, qvando à Pontificiis ac Mahumed. Truncis aridis etiam lacrymæ adsignantur. Conf. L. Atl. Mar. à Gvilelm. Grumpenb. Jes. editum p. 153. partim *Animatis* & qvidem *Vegetantibus tantùm* sic guttulæ Arborum audiunt lacrymæ. *Vel Latè*, pro qvovis aqveô humore dissoluto, qvi ab oculis dimanat, qvo pactò vocem usurpat *Goel. Phys.*

Compl.

Compl.p.1098.& sic etiam Brutis lacrymæ competunt. *Propriè* vero notat guttulam Homini adoptatam. Non enim fletum dat qvælibet gutta, qvilibet humor dicimus *cum B.Sperl.Zovl.Ph.C.2 de Br. Ax. 3.p.m.10.* qvæ ultima acceptio est hujus loci deq; eâ pluribus sumus acturi.

8. Præsupponenda priùs Vulgaris descriptio. *Lacrymæ sunt guttulæ aqveæ excrementitiæ è cerebro in oculorum glandulus derivatæ ex iisq; per tristitiam in Animo concitatam constrictis à voluntate intellectus Imperio parente expressæ ad tristitiam repræsentandam.*

9. Ad meliorem descriptionis hujus notitiam examinabimus, qvantum sat erit, Causas, *Efficientem, Materialem, Formalem ac Finalem.* (1) *Efficientem,* qvæ hîc vel *Moralis vel Physica. Moralis* est Objectum dolorificum (loqvor verò hîc de Lacrymis non cum Morbô de qvibus Medici, sed sine morbo) *id potest esse vel Reale & extra lacrymans positum,* qvando scilicet vel Objectum dolorificum alicui ad apprehendendum objicitur, idq; vel per præsentiam, ut Homo miseratq; afflictus, demortuus Parens, demortua Mater, Uxor, combusta domus ex parte &c. vel per absentium & alibi gestorum narrationem. Uti lacrymamur, qvando nobis res tristè gesta annunciatur, vel rei tristis, etiamsi cum lætitiâ conjunctæ, recordamur. Vel Objectum, cæteroqvin gratum plane suffertur, ut qvantitas deperditæ pecuniæ, opum &c. Ubi notes, perinde respectu hujus Objecti esse, sive deplores *actualitatis istius consecutionem sive actualitatis consecutæ amissionem. Vel Intentionale & intra Mentem conceptum,* qvod perinde est sive Objectum à qvo Species abstrahitur præsens fuerit sive non, unde non tantùm lacrymamur ob iram, ob vindictam, ob commiserationem circa adstans &c. Sed etiam vel ob tristium rerum in phantasia retentarum, recordationem. Sic multi adhuc deplorant amissos Parentes, multi felicem statum è qvo in infelicissimum sunt detrusi. Vel ob futuri malimetum, qvemadmodum præsente cometa, haut incommodè qvis futurum malum insequens deplorat. *Physica est vel Remotissima,* Deus scilicet qvi potentiam lacrymandi hominibus indidit. Vel *Remota & ut qvod,* totus videlicet homo. Vel *Remota ut Qvo,* Anima Hominis Rationalis, potentiâ sensitivâ instructa. *Vel proxima* & qvidem vel cum mediô, ut Intellectus & Voluntas, *vel sine mediô ut Cor &* Cerebrum materiam

lacry-

lacrymarum ſuppeditantia. Scilicet qvoad declarationem Proceſſus eſt talis. *Dolore ingenti triſtitiâ atq; commiſeratione, tanquam ab Objectis aut valdè incongruus, aut maſſvetis perculſa potentia ſenſitiva, velut intùs nutare aut ſyſtaſin ſuam propiùs contrahere qvando cogitur, ita cautũ eſt, ut major Spirituum copia, quin& uberior ſanguinis fluxus ad partes principes nempe Cor & Cerebrum, tanquam vitæ præſidia compellantur, Spiritus Animales ad hæc loca velut binos Animæ fontes Sponte profiliunt, quin & ſanguis in utrisq; pleniùs cõgreditur, dum itaq; lacrymationis occaſio affertur, ſtatim Cordis ſinus cum totâ vicinià à ſanguine ibidem aggeſto & plurimùm ebulliente intumeſcunt ac valdè inflantur, unde & pulmones inferciuntur, ut reſpirationem non niſi ſingultuoſam efficiant, tota facies in lugubrem aſpectum componitur, ob intimam nervorum, qui præcordia contrahunt cum illis qui faciem in riſu & ploratu pathetice componunt, harmoniam. Accedente jam iſtiusmodi compreſſione, lacrymæ demum ex Oculis exprimuntur. Conf. Thom. Willis. de An. Br. C. XV. de Viſu p. 119. ſeq.*

(2) *Materiam.* Quæ vel *Ex Qua*, vel *In Qua*. *Ex quâ*, eſt vel *Remotiſſima*, videlicet nutrimentum; Vel *Remota*, nimirum ſangvis impurus ſerô vectigaliq; conſtans; Vel *Propinqua*, Humor nempe aquoſus à ſanguine defæcatus & extractus; Vel *Proxima eaq; adæquata*, Humor tenuis, iſq; in & à cerebrô retentus, &, humore alterô tenui ſive vapore per ſuturas emiſsô in glandularum ſubſtantiam demiſſus, & ille non pura, ſed ſalſa, ſeroq; commixta Aqua eſt. *Vid. B. Sperl. in Anthrop. Materiâ in Quâ ſeu ſubjectum*, vel eſt *ultimatum & ut quod*, totus videlicet Homo; Vel *non ultimatum & ut quo mediatum* Anima Rationalis facultatibus prædita, unà cum Corde ac Cerebrô: Vel *ut quô immediatum*, ipſe Oculus, iſq; non totus, ſed quà quasdam ſolùm ipſius partes. Ubi velim obſerves (1) *Partes Oculi eſſe vel Exteriores vel Interiores.* Illæ ornatui, munimento, aut actionis commoditati inſerviunt, cujusmodi præter Orbitam oſſeam ſunt palpebræ, cum Ciliis & ſuperciliis, & glandulæ cum vaſis & ductibus excretoriis. Hæ ipſum Oculi globum conſtituunt, quæ iterum vel circa ambitum ejus diſponuntur, uti ſunt muſculi & vaſa cum pinguedine interjecta; vel intima

magis ejus penetralia efficiunt, nempe Tunicæ ac Humores. Hîc non est quæstio de partibus Oculi exterioribus, sed interioribus, iisq; non omnibus, sed glandulis tantùm. Ubi observes (2) *Glandulas Oculi esse duas, alteram, quæ humorem oculo debitum exudat; alteram vero quæ humorem serosum oculo superabundantem suscipit & est instar Cloacæ*, quæ colluviem serosam oculo nimis suffundi aptam commeatu secreto foras amandat. Hæcq; certa sua habet vasa lacrymalia, quæ iterum habent Arterias, venas & nervos, per quos Aqua serosa ad utramqve glandulam derivari & vel retineri, vel, si comprimitur, ab utraq; amandari potest. Loquimur hîc potissimum de posteriori. Et hæc sufficiant dixisse de Materia in Qvâ. (3) *Formam.* Quæ vel est *totalis sive Metaph.* tota scil. lacrymarum quidditas. Vel *partialis sive Physica*, quam quidem exprimere à priori non possumus, nisi fortè à posteriori, dijudicando ea, è quibus compositæ sunt &c. Vel *Logica*, quæ est ipsarum definitio: Vel *deniq; Extrinseca*, qua consistit partim in globôsâ ipsarum extra Oculum apparentiâ, partim in fluxu unnc majori, nunc minori &c. Qværitur hîc potissimum *de Forma Phys. & Extr.* (4) *Finem.* Qvi hîc potissimum vel *Primarius* est vel *Secundarius.* Hic doloris & anguſtiæ in subjectô lacrymante est mitigatio. Ille verò est tristitiæ in Animô conceptæ repræsentatio. Id saltem adhuc observabis, quod non rarò lacrymæ proveniant (ad tristitiam repræsentandam) *à potentiâ Animalis actu elicitô, non rarò vero etiam ab actu imperato.* De posteriori nos loqui nemo non videt & consequenter, quid ad Quæstionem, Num Bruta fleant, quamvis non sit hujus loci, respondendum sit.

10. Expositâ quoq; Voce Lacrymarum, jam ad Connexionem Prædicati cum subjectô nonnulla adhuc sunt observanda. Nimirum non quærimus, *num nulla unquam saga coram Judice, vel in Torturâ lacrymata sit*; quanquam enim id omnes fermè Judices unô ore adserant, non tamen puto, nullum ex inductione dari vel dari saltem posse Exemplum contrarium, potissimùm cùm diversimodè sagæ ratione fœderis se habere vel innocentes etiam vel aliter comparatæ ab aliis esse possint; *Sed unde id veniat, quod, etiamsi promissionibus vitæ non rarò mulceantur,*

catur, Sagæ quædam ne dicam lacrymari, ne quidem ad lacrymas se disponere queant.

11. Ex quô haut difficulter fluit defectum lacrymarum *ab illis efflagitarum Criminis Veneficij vel maleficij non esse necessarium & infallibile; sed saltem probabile signum, vel si omnes circumstantiæ accuratè perpenduntur, necessarium necessitate hypothetica.* Quamvis enim (1) *in delictis occultis & difficilis probationis sufficiat de eorundem corpore constare per conjecturas, & in delictis occultis præsumtiva & conjecturata provatio pro plenâ & concludente habeatur, citante pro hâc sent. plurimos Carpz. l c. p. 326.* Tamen (2) Astutia Diaboli, Deo permittente, contingere potest, ut vel Malefica fleat, vel Non Malefica ad lacrymas se disponere nequeat. (3) Potest Judex vel Assessores à Sagis tangi & fascinari, ut vel sputum genis impressum credant esse lacrymas, vel anhelitus fictos putent esse veros singultus à maximâ lacrymarum copiâ provenientes. Hinc Judicibus imponitur ne se tang. Corporaliter patiantur. Conf. *Mall. Venef. P. 3. qv. 15. p. 559.* (4) Quædam Mulieres adeò siccæ atq; duræ sunt, ut, licet durissimis eas pœnis afficias lacrymulam exprimere nequeas. Pumiceos oculos habeo non possum lacrymam exorare ut expuant unam modo, & genus nostrum semper siccolum fuit, ait ille apud *Plautum in Pseud. Act 1. Sc. 1. v. 73.* (5) Doloris magnitudo sæpius lacrymas exsiccat, & planè tollit, quod mox demonstrabimus (6) Juxta tritam Regulam Juris; id non probat adesse, quod cõtingit abesse. *Cam. in Hor subcis. Cent. 2. C. 26. p. 153.* Hinc (7) ipse nondũ satis laudatus Carpz. l. c. infit, ex quibus verò præsumtionibus & indiciis certitudo maleficii colligi queat, certô definiri nequit, sed prudentis Judicis arbitrio res tota committenda est.

12. Probè porro est dist. inter diversa in quibus Sagæ constitutæ sunt, loca. Quin enim vel in Carcere, vel coram Custodibus atq; lictoribus, lacrymari possint, nullum est dubium & experientiâ huc usq; sat est decantatum. Itaque quærimus de absentiâ lacrymarum in locô judiciali sive criminali, præsente Judice; non de absentiâ vel præsentiâ lacrymarum in Carcere vel coram Custodibus.

13 Obs. non tàm quærimus: An Sagæ non possint lacrymari; sed cur de factô cum incitantur, non lacrymentur.

14. Ultimò dist. inter taciturnitatem & lacrymarum negationem, quanquam hæc duo indivisibili nexu conjuncta esse videantur in Sagis, quærimus tamen tantum de posteriori.

SECT. III. Sistens Θ.

Causæ, cur Sagæ coram Judice vel in Torturâ non lacrymentur, sunt (1) *Naturalis Mentis durities.* (2) *dolorum atq; Pœnarum atrocitas, ut & maxima tristitia atq; stupor.* (3) *Maleficium penes se retentum.* (4) *Insensibilitas, quâ præditæ sunt à Diabolô.* (5) (*ut reliqua taceam*) *Justum Dei erga Sagas judicium.*

Καὶ ϑ.

1. M Prob. (1) *Sagæ Vecordes non habent Animum mollem E nec lacrymantur.* Maj. prob. Lacrymæ proprie ita dictæ requirunt Animum passibilem, Animus passibilis est mollis. Animus mollis non est vecors. E. Lacrymæ non tolerant Animum vecordem. Si non tolerant, & sagæ tamen sunt vecordes, sequitur qvod non lacrymentur. Min. ex collectione Terminorum patet. (2) *A Minori ad Majus. Si dantur (1) Mulieres etiam non maleficæ (2) Infantes qvi ob mentis duritiem nullis adhortationibus nullisq; Virgis ad lacrymandum incitari possunt, sequitur qvod ob majorem duritiem id multò minùs evenire possit in nonnullis Sagis.* Atqvi verum prius Maj. prob qvia ultra, qvod possint habere naturalem qvandam duritiem, partim ob consortium diabolicum paululum adhuc supra humanitatem sunt positæ; partim qvia experientiâ constat, Diabolum eas maximis cruciatibus affecisse qvi vel alias vel seipsas ante tempus prodidêre, vel humani qvid, Christianismum sapiens admisere multò magis id sperandum, si ad qvodlibet qvæsitum trepidarent statim & lacrymarentur. Unde seipsas indurant. Min. ex Exemplis, & qvotidiana in Liberis qvibusdam observatione patet. Excipis (a) *Positô maximè Uxorem Veneficam esse vecordem exinde tamen poterit lacrymari cùm eô ipsô* (ut promittitur à Judice) *pœnam capitalem effugere possit.* R. Concessô, qvod

sit maximè vecors, non poterit lacrymari, Ratio adducta est nulla. Nam (1) peripectum id facilè habere potest, qvod etiamsi lacrymetur, exinde tamen vitam integram non sit retentura, aliæ enim dantur præsumtiones, indicia & facta propter qvæ vinculis & adstringitur & Torturæ tradi potest, etiamsi lacrymetur. (2) Fortè, ut nonnullæ fassæ sunt, pactum Diaboli eo usq; se saltem extendit, cùm E. sciat Terminum hunc non posse ulteriùs protrahi, etiamsi lacrymetur, ex vecord â qveq; easdem dispergit. Urges: (b) *Judices sæpiùs Sagis, si sint edituræ lacrymas vitam promittunt, Jam promissa sunt servanda. Si, liberabit se à Morte Saga lacrymis.* R. (1) An licitum sit Judici sub promissione vitæ confessionem extorqvere vel lacrumas (qvanqvam cum his alia videatur esse ratio) nostrûm non est decidere. (2) tamen dicimus non statim propter istam promissionem, potissimùm si non est facta coram Testibus & conjuratione manuum, vitam Maleficæ esse concedendam, *qvia pro habendâ veritate delicti à Reô Judex simulationibus uti potest, se scilicet velle agere id, qvod reverà non intendit agere. Excipis E. dolosè agit & mendacium committit.* R. dist. inter *fictionem sive simulationem & mendacium.* Hoc si admittit Judex, peccat nec ei est licitum, neq; enim sunt facienda mala ut eveniant bona. Illa vero licita ipsi est, ut tamen nihilominus irroget pœnam & propterea Mendax non fiat. *Conf. Mall. Venef. l. c. p. 553. seq.*

2. M Prob. (1) *Qvia hæc omnia totam Naturam evertunt.* E. & fluxum Lacrymarum. Connexio patet, qvia à subalternante (affirmative) ad subalternatam V. C. Antecedens constat, *Q totam Naturam Ens si qvasi tradit, ita ut dediscat in Actûs erumpere secundos, id Naturam evertit. Atqvi Magna Animi pathemata, pœnarum Atrocitas in Sagis &c.* E Maj. Prob. *Natura impedita* (puta qvà Actum secundum) *evertitur. Natura, qvæ, qvos potest & debet acqvirere Actûs secundos non acqvirit est impedita. E. evertitur* Minor probari posset, si opus multis Exemplis. (2) *Qvia ob nimia Pathemata & rarum horrorem potest ligari, os lingva & labium qvo minùs verbum faciant. Cur non multo magis tenuissimi è cerebro ductus ac nervi ad glandulas & vasa lacrymalia impediri possent, qvò minùs sufficientem A-*

quam suppeditarent qua deinde ex oculis erumpere possit. Qvid qvod(3) *easdem ob rationes Cor hepar atq; pulmones ita coarctentur ut ipsum interitum minentur, hinc non possunt, utpote impedita, defœcatum sanguinem cerebro immittere, quod nec tunc istum elaborare & demittere ulterius potest, cùm omnes lacrymarum meatus constringantur nimium & à calore intenso vasa lacrymalia exsiccentur.* (4) *Ex Experientia.* Sufficit hîc unum vel alterum citâsse. Cùm Emanuel Sosa, Conjux, Liberi & reliqvi ex ejus comitatu spoliati à Barbaris Æthiopibus, nudi atq; distituti omnibus rebus necessariis in sterili arenâ relicti essent, præterea cogeretur Pater in Sabulô sepelire Conjugem & Liberos famæ & mærore confectos, nullas in his maximis calamitatibus lacrymas, stupore nimiô correptus, emisit. Idem accidit olim, stupore qvodam, Martio Coriolano, cum in exilium relictâ Matre & Conjuge cum Liberis solus iret. Ita enim Halicarnassæus introducit Matrem ejus de Filiô loqventem. Cùm aliqvantulum à nobis se motus sine lacrymis instar lapidis & immotis oculis stetisset &c. Videatur Camer. in Hor. subciv. l. c. p. 150. (5) qvod qvarto præponere debebam, *Quia Sagæ lacrymare possunt absente Judice coram Custodibus, Cur E. non possint præsente Judice, nulla alia ratio allegari potest, qvàm qvod ejus Autoritatem, præsertim cum terribilibus, ut solent, verbis eas exuspiant, exhorrescant & ex animes fermè reddantur.*

3. M. Prob. (1) *Sagæ maleficio alios ad taciturnitatem & negationem lacrymarum maleficiare possunt. E. & seipsas per maleficium retentum.* Maj. est clara. Minor patet: Nam malefica qvædam in Jßburg se jactare solebat, qvod ubi ad minùs filum ex vestimentis alicujus detenti haberet, tantum efficere posset, qvod qvantumcunq; tormentaretur, etiam usq; ad Mortem nihil fateri posset, & consequenter nec lacrymare. (2) *Q. ob maleficium retentum faciunt ut nec comburantur nec suffocentur, illi etiam ob id faciunt, ut nec lacrymentur. Atqve verum prius. E.* Min. demonstrat hoc unicum. In Diœcesi Ratisbonensi qvidam Hæretici ex propriâ Confessione devicti non solùm ut impœnitentes, imò & defensores illius perfidiæ, cùm Morti fuissent adjudicati, *accidit, ut in igne illæsi manerent.* Tandem

per

per aliam sententiam ad submersionem adjudicati, nihil proficere potuerunt. Stupentibus omnibus & fidem ipsorum ut justam defendere conantibus, notum tandem fiebat, *quod in certô loco Corporis, videlicet sub brachiô unô maleficium quoddam inter pellem & carnem insutum haberent, quô repertô & amotô continuò incendiô consumti fuerunt.*

4. M. Prob. (1) *Qà Diabolo facti sunt insensibiles, illi nec minas metuunt nec dolores nec promissiones,* (utpote majores à Diabolo possidentes) *curant, ob quas aliquid perpetrent. Atqui Sagæ. E.* Maj. prob. qvia ubi insensibilitas locum occupat, ibi Natura Stirpis aridæ vel lapidis ad tactum non cedentis qvasi induitur, hæc sive moveas, sive horteris, sive iis qvid promittas, nullum indicium vitæ vel obsequii præstant. Pari modò se habet qvoq; cum Sagis & notum est aspectum Sagarum fermè omnium, potissimùm tamen Vetularum esse horribilissimum dum obstupefactæ hærente voce stant inanimes. Min. prob. (a) qvia defacto sagæ qvædam insensibiles sunt; Jam verò non à se & propriis artibus E. dæmoniaci. (b) qvia inventa sunt Instrumenta Pactionis, in qvibus inter promissiones reciprocas Diabolus & hoc sagis politicus: *Se velle eas ad omnes dolores plagas & pœnas insensibiles reddere. Conf. anteà cit.* (2) *Qvia nonnullæ Sagæ ab aliis maleficis etiam abjectitius per maleficia ad insensibilitatem taciturnitatem & lacrymas denegandas maleficiuntur. E. multò magis à Diabolo. Excipis tali ratione perdit Diabolus ipse Sagas & Servas suas, qvod contra pactum ipsius.* R. (a) Dum Diabolus suos insensibiles ad dolores &c. dedit, sæpiùs eas liberavit, ut in Torturâ maleficium non fassi fuerint & consequenter culpæ insontes permanserint, ut exempla testantur. (b) Qvid si perdat eô ipsô Diabolus suos? qvid inde in ipsum mali? dicis non servat fidem. Resp. Sic est, modò nec ipsi ut Hæretico maximo fidem servarent. (c) Nam pactum ille sive illimitatè sive limitatè institutum parum curat, nihil enim avidiùs qværit qvàm Animas multas lucrari & ad tenebras inferni multifariam fraudibus homines pertrahere; Qvamprimùm videt Lamiam esse apprehensam, cùm Anima ejus suæ potestati sit subjecta, nihil aliud qværit, nisi ut separetur,

tur famulæ suæ Anima à Corpore, ut qvam adhuc sub conditione possedit, jam post rogum jure & totaliter lucretur, qvæ posset per pœnitentiam ejus Imperium subterfugere & se renunire cum fidelibus. *In faciem tamen dissimulatis insidiis Lamiis multas pollicitationes, liberationem concernentes dat, ut professionem diabolicam nullatenus revocent, etsi res etiam adignem redigatur, promittit, se flammas ingenti Imbrium vi esse extincturum, aut, si forsan mori contingat, sese post Mortem similes Dæmonibus esse futuras.*

5. M. Prob. (1) *Qvia Sagæ suâ spontè & ex malitia instinctu Dæmonis à Deo defecêre & reditum in tempore gratiæ renuêre. Itaq; prout ad Extrema perventũ est, ex justô judiciô subtrahit iis Deus suam gratiam & ex eâdem omnia humanitatis ac innocentiæ Signa qvò etiam referuntur lacrymæ.* (2) *Qvia lacrymæ sunt donum qvoddam in pœnitentibus, fidelibus &c. Cùm vero Sagæ ut plurimum impœnitentes*, de quibus unicè loquimur, sint & maneant, fideles nunquam, ex justo judicio Deus hoc donum iis denegat. (3) *Qvia Deus faciem Judicis admodum elevare, & ita illuminatã reddere potest, ut eminentiâ & claritate terreat Veneficas omnesq; lacrymas quasi igne absumat.* (4) *Quia & locum judicii ex severo judicio instar loci ac πȣ̃ damnatorum facere potest, ubi illi ejulatum & dentium stridorem, nunquam verò veras lacrymas effundere poterunt, attestante Scriptura S. Applicationem faciat quilibet.* Lubens nonnullas adhuc Objectiones resolverem. Enimvero Chartæ exclusus pedem sisto. Tu, qvi legis, nostra noli carpere nimium. Sed, si qvid melius habes, suppedita. Interim agimus

SOLI DEO GLORIAM!